



~~Litt.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58.

SIGNAT. ~~ccccccc~~ CCCXIII.

I. N. J.  
**PTOLEMÆUS**  
**GEOGRAPHORUM inter Græcos**  
**MONARCHA;**

Et, quod Is  
solerter à Se excultum,,  
Posteritati ingeniosæ ulterius excolendum  
tradidit,

**STUDIUM GEOGRAPHICUM;**  
**Exercitiis Rheticis,**  
*ad D. XXVII. Augsti,*  
*Horis ab IIX. Antemeridianis,*  
**in Gymnasio Magdalenæo**  
**commendabuntur.**

VRATISLAVIAE exprimebat  
BAUmannus.





LECTORIBUS,  
GEOGRAPHICÆ SCIENTIÆ

Fautoribus,  
Salutem ab Eo,

Qui Mare, qui Terras, qui totum Temperat Orbem!

**Q**uod Disciplinarum, in numerando, & di-  
metiendo Rerum Naturalium Corpora, occupata-  
rum, Studia, prudenti veterum Sapientum, præ-  
sertim Græcorum, Instituto, Juventuti studiosæ, à pri-  
mó Institutionis limite proposita, & hinc Matheseos, à  
discendo Nomen, quasi ante alias omnes discenda, consecu-  
ta fuerint, ex multis Antiquitatis eruditæ Documentis ho-  
dieq; licet cognoscere. Nihil aliud suo illo, χῆνα καὶ βῆνα,  
quod in Ore frequenter habuerunt, Pythagoréi indicá-  
runt, quam quod per Schemata & figuræ Mathematico-  
rum, ad superiora Doctrinarum Studia, cùm è Suggestu  
discenda velociter, tūm de Suggestu docenda feliciter, ad-  
scendendum esse arbitrarentur. Nihil aliud innuit di-  
vini, quem sic vocant, Platonis Symbolum, quod fori-  
bus Scholæ suæ inscribi voluit: ὁ δέ αὐτῷ εἰπεῖ Κίτω. Geo-  
metriæ imperitus nemo ingreditor. Nimirūm in ea  
fuere Sententiâ Sapientissimi Viri, quod, cum solâ Recor-  
datione opus haberent hæc studia, & omnia Oculis fideli-

ter

tèr subjicerent; utraq; verò vis Animi, & imprimendi vi-  
sa, & recordandi, in primâ ætate, vigeret cum primis; fa-  
ciliori Modo ad hoc, quam ad aliud Doctrinæ Genus, ad-  
duci Juventus posset. Quo etiàm effici dixerunt, ut Mens  
ad huc purior, & sincerior, Inscitiae ærugine exuta, ad su-  
blimia tolli mature adsuescat, & affecta mirificè, ea, quæ  
Mentem acuant, cognoscendi Voluptate, acutior per hæc  
Studia, magisq; docilis reddatur, immo à terrenis Volu-  
ptatibus avulsa, quæ Mores, Vitæq; Actiones, ad Exem-  
plar Cœli efformetur. Nec caruit Res hæc Experimen-  
to: sed quovis Ævo sat comprobatum Exemplis est, ex-  
cellentissima extitisse Ingenia, quibus volupe fuit, in Ma-  
thematicis Disciplinis, aut tractandis, aut quantum  
in Se fuit, per alios provehendis, Studium suum occupare.  
Ut verò amplò sese spatio extendunt Illæ, & divina Ma-  
thesis, tanquam fæcunda Mater, numero plures ex se  
genuit Filias; quæ Sororiō quodam Vinculō invicem con-  
stringuntur, & suō quæq; loco suam Sibi, honestæ Famæ  
Laudem, integratq; illibatam servant: sic nulla ex illis  
est, quæ inter Mortales, Cultu dignior, Dignitate po-  
tior, & Usu prior habita sit, quam Astronomiæ admi-  
niculis usa GEOGRAPHIA. Istam enim qui coluere di-  
ligentiùs, vero simile fit, illius non fuisse imperitos: nec  
qui ab illâ instructi fuerunt, hujus ignaros: cum altera al-  
terius Opem poscens, amicè conjurent, & accuratior Or-  
bis terreni Situs, omnium ferè Sectionum ratione, ad Cœ-  
li partes referatur.

Quantus autem, prob fidem hominum! quantus eo-

A 2

rum



rum Numerus futurus, si à primō, quod dicitur, Ovo  
recenseri deberent, qui Geographici Studii Amore  
capti, dignissimum illud omni Studio, omni Cultu habue-  
runt. Quā Semi sese Prosapia, quā Chami, quā Ja-  
pheti disseminārunt; si vetus Opinio vera est, quod illi  
Asia, Iſti Africa, huic Europa, post universalem illum  
Mundi Cataclysmum, cesserint; non defuerunt olim  
multò minùs hodiè desunt, qui Orbem istum, quem cum Ma-  
ri, Fluminibus, Paludibusq; continens Terra constituit, per-  
lustrarunt sollicitè, & aut Ipside descripsérunt, aut ab ali-  
is describi, magnificis Sumtibus curârunt. Certè inter  
primas Eorum Curas, qui à Deo proximi in Terris habentur  
innumeris retrò antè Seculis fuit; ut noscerent Orbem,  
& quæ Loca vel Ipsí Profectionibus peragrâsent, vel  
Victoriis subegissent, ea Tabulis descripta apud se ha-  
berent, additis Regionum Nominibus, atq; aliis eti-  
am inspicienda proponerent: uti ex omni Antiquitate  
observavit Claris. P. Bertius Beverus, in Præfatione,  
quām in Theatrum Geographiæ veteris, quo Ptolo-  
mæum Nostrum, & in Eundem Mercatoris Annotationes  
exhibit emendatissimè, sub Auspicio Christianissimi  
Regis, Anno 1618. editum, disertè conscripsit. Nolo a-  
ctum agere, & hic prolixum texere Catalogum, tūm Re-  
gum & Impp., quibus volupè fuit, ut Propertius canit,  
—

E Tabulâ pictos ediscere Mundos; tūm Geo-  
graphorum ex Græciâ & Latio plurium, quām unquam  
credat Antiquatum incurios: qui aut Oratione continuâ,  
nullis accendentibus Picturæ Lineamentis, aut Picturâ tan-  
tum

tum, aut deniq; Oratione junctim & Picturā, cognitæ Sibi  
Terræ ambitum descripsérunt: cum id inibi, à peritusimo  
talium Viro, præstítum sit fidelissimè.

Memorabilis est, quem ex Herodoto, Patre Hi-  
storiæ, ejusq; nominatim Terpsichore, (Lib. V.) Locum al-  
legat. Aristagoram narrat Milesium, qui Dario impe-  
rante Tyrannus in Patriâ suâ fuit, profectū Spartam,  
Auctorem Cleomeni Spartanorum Regi fuisse, ut  
collectis Copiis Expeditionem in Asiam suscipere:  
producto in eam Rem Pinace æreo, in quo totius Ter-  
ræ ambitus erat descriptus, cum omni Mari, & uni-  
versis Fluminibus. In eâ verò Tabulâ, narrat Hero-  
dotus, ipsum varia Loca sic designâsse: His Jonibus,  
inquit, eccè hi Lydi confines sunt; his verò Lydis, hi  
Phryges, Phrygib⁹ verò istis Cappadoces: quibus am-  
termini sunt isti Cilices, istius eccè Maris accolæ, in  
quo hæc Insula Cyprus sita est, quæ Tributum annu-  
um Dario pendit, quinquaginta Talenta. His Cili-  
cibus finiti sunt isti Armenii: & quæ præterea apud He-  
rodotum leguntur. Quod Exemplum etiam Alexandrum  
M. observâsse Patroclus scribit, Teste Strabone, (Lib. II.  
Geogr.) & accuratè omnia indagâsse, cum ei Regionum,  
Descriptiones à peritis traderentur. Julium Cæsarem  
idem non neglexisse, satis superq; docent literatisimi Prin-  
cipis Commentarii, quos interspersa rerum Geographi-  
carum insigni memoriâ passim illustravit. Antecessorem  
hunc in Imperio laudatissimum, non minori Laude Augu-  
stus augustissimus imitatus est tam felicitè, ut confirmato

A 3

Imperio



Imperio Geographiæ Studiō adjutus, Italiam in Regiones distribueret, diversam a Cæsare Galliæ divisionem institueret, totum Orbem describeret. A quō tempore post Augustum, in Romano Imperiō, eadem semper servata est Ratio, idem Mos duravit perpetuò, ut usitata Pinacographiæ, seu in Tabulis Terrarum Sitū pingendi Consuetudo vigeret.

Collapsō, aut certè misere distractō Imperio, qui Studia Literarum unā intercidisse, & ab immani Barbarie fere oppressa non nescit, idem Geographiæ accidisse meminērit. Boëthium tamen, Virum, cui elegantiores Musæ omnem suum favorem tradiderant, in quinto à B. Virginis partu Seculo, intelligimus, omnium Mathematicarum Artium Copiā instructum, hanc partem non neglexisse; & Cassiodorū, desertā vitā civili, Monachū factum, Libro, quem scripsit de divinis Lectionibus, Autorem extitisse iis, qui Sacris dant operam, ut Geographiæ quoquam Studium, à studio suo alienū non censerent. Post hæc, quæ Fata habuerit nobilissima Disciplinarū, præfertim in Germaniâ, fere horre scat referre, horrescat legere, cui Literarum Humanitas politior Cordi est. Nihil est quod Metio Pomposiano, apud Domitianū Tyrannū Necis Causa extitit Geographia. Creditus enim est Imperium affectāsse, quod Orbem Terræ depictum in Membranis secum circumgestāsse. (Xiphilin. in Domitian.) Hoc dolendum, quod circa An. Chr. 745. cultu dignissimæ hujus Scientiæ Ignorantia in tantam excrevit Barbariem, ut Virgilius, Episcopus Salisburgen-sis, quod Geographiæ Cognitione imbutus, Antipodes re-

verā

verà dari statuisset, à Bonifaciō Episcopo Moguntino, coram Pontifice Romano Zachariā, hæresēs accusaretur, immo Re tandem ad Regem Bohemiæ delatā, Et indē Appellatione ad Pontificem factā, hæresēs omnino damnaretur: quemadmodum Aventinus, Annalium Bojorum summa fidei Conditor (Liber. 3.) refert.

Clementius cum cā, Ejusq; Cultoribus actum, quando Seculo pone secuto, Carolus M., quando duodecimo deindē Fridericus II. Rerum potiti sunt; opt: mē omnium, quando Maximiliani I. & Caroli V. gloriofissimæ Memoriæ Imperatorum Temporibus, factā ad priorem Notitiam, ingenti Accessione Orbis antea incogniti, mirificè excitati sunt Viri ingeniosissimi, ut in Orbis Terrarum Partibus peragrandis, in Chorographiis scribendis, pingendisq; nulli operæ, nulli, vel inexhausto Labori, nullis Sumptibus parcerent. Ex Caroli M. Testamento (quod Ann. Christi 811. conditum Eginhardus edidit;) cognoscimus, Eum, præter quartam auream, tres reliquise argenteas Mensas, Geographiæ egregiis Speciminibus insignes. Una, formâ quadrangulâ, Descriptionē Urbis Constantinopolitanae; altera, formâ rotundâ Romanæ Urbis effigiem; tertia, cæteris & operis Pulchritudine, et ponderis Gravitate multum excellens, ex tribus Orbib⁹ connexa, totius Mundi Descriptionem subtili ac minutâ figurazione continuit. Egregia sanè, & tanto Principe digna Studii Geographici Specimina! Digna quoq; Majestate summâ, quæ in vertendis ex Græco, & Saraceno Idiomate Astronomiæ, & Geographiæ, præsertim Ptolemaei vetustis Monumentis, Magnificetiæ Documenta, Fridericus I. & hunc secuti alii Imp. & Reges,



ges, summâ cum Gloriâ Nominis sui, designârunt. Dignum gloriosâ deprædicatione Studium, quod Carolus V. à gravissimis Imperii Curis Animum relaxaturus, in Geographia colendâ posuit: cum non solum Horologis artificiè describendis Heroicum Animum intenderet; sed & in quærendâ Regionum Longitudine, & Latitudine, quas Geographi vocant, in Stellis ad Regionum Situs conferendis, diligentissimus esset, ut navigans, Cæli Contuitu, Cursus dirigere posset. Quid dignius dici, & gloriostius de Studiō Geographicopoteſt, quam defessos tantorum Imperatorum Animos, Eo esse tantoperē recreatos; omni ævō, quod aut jām cultum Literis, aut iis excolendum mox fuerat, Principes in Republ. Sagatâ pariter & Togata Viros, Eo mirificè delectatos? Quid futurum censeamus si hodiè in Vivis illis esse liceret, & quanto Labore Majorum Industria in hoc Studiō victa sit, contemplari: ubi non saltem Pinacographia, quæ Tabulis in plano exhibitis Terrarum Partes delineat, multò cultior habetur, & eleganter; sed & ad Constitutionem cœlestem longè accuratior, quam unquam visa est, Sphærographia, Sphæræ Orbem universum repræsentantis Positio, accessit: ubi ad cognitum Veteribus Orbem,

Addidit Oceanus Pariam, Chilenq; Peruq;;  
Trusaq; in immensos Æquora tota Sinūs;  
Guianæq; Domos, dorsisq; immanibus Andes,  
Victaq; jām nostrâ Littora vasta Manu:  
sicut inter ejusdem Materiæ Meditationes cecinit Clarissimus Barlaeus, (p. 499. Poëmatum in 12. edit.) Admira-

randa



randa sānē sunt Opera, Abr. Ortelii Theatrum Orbis,  
sub auspicio Philippi II. Hispaniarum Regis superioribus  
*Annis evulgatum*, & unanimi cum applausu Orbis uni-  
versi exceptum: Atlas seu Cosmographicæ Meditatio-  
nes de Fabricâ Mundi & fabricati Figurâ, Opus non  
unius Anni, nec Hominis, & Vitæ: quod Gerhardus  
Mercator Rupelmundensis Belga, primus instituit:  
quod, cum Is labori suo, velut Apelles Veneri, immoreretur,  
& imperfectum relinqueret, magno ære redemptum Judo-  
cus Hondius Wackenensis absolvit: quod Guilielmus  
Blaeuu seu Cæsius, artificiose interpolatum, Appen-  
dice auxit; tandem, Anno ab hinc septimo, cum Johanne  
Fratre, novo vultu conspicuum exhibuit, & in Æterni-  
tatis Templo consecravit. Dilucet hinc, tanquam è pla-  
no, non esse ex Mathematicis Disciplinis ullam, quæ cum  
Geographiâ Cultu, & Dignitate, quâ omni serè ævo re-  
liquis potior fuit, in contentionem venire audeat.

Priorem etiam Usu dixi. Et de hoc constare ex jam  
dictis posset, nisi juventutis informandæ gratiâ consultum  
ducerem, uno atq; altero præcipui Autoris Loco, quod af-  
fertum est, confirmare: ut tanto dilucidius appareat, quid  
Belli, quid Pacis, quid Utriusq; tempore, Geographici  
Studii Cultura, ex se se Usus præbere valeat; nempe tan-  
tum, quantum reliquæ ejus Sorores nunquam præbent. De  
Bello sic Fl. Vegetius, Vir illustris, bellicæ Disciplinæ sub  
Valentiniano Scriptor: omni cura, inquit, omniq; dili-  
gentiâ providere debet Dux, nè proficisciens patiatur  
incursum; sed facile & sine damno repellat illatum.

Primum Itineraria omnium Regionum, in quibus Bellum geritur, plenissimè debet habere prescripta, ita ut Locorum Intervalla non solum pasuum numero; sed etiam Viarum qualitate perdiscat. Compendia, Diverticula, Montes, Flumina, ad fidem descripta consideret: usq; eò, ut solertiores Duces Itineraria Provinciarum, in quibus necessitas geritur, non tantum adnotata, sed etiam picta habuisse fermentur, ut non solum consilio Mantis, verum adspectu quoq; Oculorum Viam profecturis eligerent. Audimus, quid usus in Bello Geographiæ tribuatur. Verè tribuitur, Et hoc Vegetij Præceptum hodieq; ex usu esse prælustibus Belli Ducibus, universa Germania nostra, proh dolor! satis experta est. De Pace Eumenium, celebrem Panegyristam audiamus, qui sub Maximiniano Præsidem Galliarum alloquens; Videt, inquit, in illis Porticibus (ubi promore Temporum, Geographica inscripta erant;) Juventus, & quotidie spectat omnes Terras, & cuncta Maria, & quicquid invictissimi Principes Urbium, Gentium, Nationum, aut Virtute devincunt, aut Terrore. Siquidem illic (ut ipse vidisti) credo instituendæ Pueritiæ causâ, quo manifestius Oculis discerentur, quæ difficilius percipiuntur auditu, omnium cum Nominibus suis Locorum situs, spacia, intervalla descripta sunt: quicquid ubiq; Fluminum oritur & condit, quæcunq; se Litorum situs flectunt, quo vœ ambitu cingit orbem, vel irrumpit Oceanus. Ibi fortissimorum Imperatorum pulcherrimæ res gestæ, per diver-

mūmī

sa Re-

sa Regionum argumenta revolvuntur, dum calenti-  
bus, semperq; venientibus Victiarum Nunciis re-  
visuntur Persicos Flumina, & Libyæ arva siccentia, &  
convexa Rheni cornua, & Nili ora multifida. Sane  
nemo Nostrum diffitetur, se magis moveri Animo, si vide-  
at ea Loca, in quib; Memoria dignos Viros accepit versatos,  
quam si quando Eorum ipsorum aut facta audiat aut scri-  
ptum aliquod legat. Animus jucundè peregrinatur,  
qnando totius Orbis Regiones exspatiantib; oculis, in exigua  
Chartâ pererrat, ac, ut de Æneâ suo Parthenias cecinit:

— Miratur, Rerumq; ignarus Imagine gaudet.  
Ità verò gaudet, ut in utroq; Rerum statu, Terra, Hospi-  
tii sui, & sui ipsius Hospes non ignarus, cum Romano Sa-  
piente sèpius exclamat: O quam ridiculi sunt Mortali-  
um Termin! Punctum est, quod inter tot Gentes,  
ferro & igne dividitur. Punctum est, (ut pulcherrima  
Plinii verba hic mea faciam) ubi Materiam Gloriæ suæ,  
ubi sedem multi statuunt, ubi honores gerunt, ubi exercent  
Imperia, ubi Opes cupiunt; ubi tumultuatur humanum  
Genus, ubi instaurat Bella, etiam civilia, mutuisq; cædibus  
laxiorem facit Terram; ubi aliis conterminos pellit, furtog; q;  
vicini cessitem suo Loco affudit: quanquam, qui latissima  
rura metatus fuerit, ultraq; fines egerit accolas, minimâ  
Terrarum parte gaudeat: vel cum ad mensuram Avari-  
tiæ suæ propagaverit, exiguum tandem Portionem ejus de-  
functus obtineat. In tām prudenti consideratione Geo-  
graphicici Studii ultimam Metam figenti, qui potest in  
hoc Orbe Terrarum, quantus quantus sit, quicquam vi-

deri magnum, & tantopere expetendum? qui potest quis  
adhaerere Animo, ad Sublimia facta, huic Glebae? Cogitat  
quidem, & in honorem Conditoris, gratus agnoscit, & præ-  
dicat hujus suæ Habitationis, & sibi ad tempus concessæ,  
Gloriam: sed memor vanitatis, sic hanc Terræ Orbitam  
intuetur, ut eâ relictâ, ad altiora, ac æternum duratura,  
ad Patriam Piorum, ad Cœlum, viam & cursum omnem  
quotidiè dirigat. O felix, o utile Studium, quod eò dicit!

Et hæc, cum inter Lectiones Geographicas, quas  
hactenùs mihi injunxit publicè Officii Ratio, subinde  
mihi obversarentur Animo; eligendum verò eodem hoc  
Mense Thema esset, quod Actui publico, & in eo exer-  
cendis Alumnis Cortis nostræ præscriberetur: misso hâc  
vice Panætio, quem in Moralibus Præceptis, & officiis  
vitæ inculcandis adhuc ut plurimum secutus sum; Pto-  
lemæum in Scenam producendum duxi, & ut Monar-  
cham Geographorum sistendum. Meretur hunc  
Honoris Titulum, & refert apud omnes, qui Geo-  
graphiæ adyta penitran: non quod primus omnium  
in hoc Studio excelluerit: sub Antonino enim Imp. Ann.  
demum 150. a Christo nato floruit, & Anaximandrum  
atq; Hecataeum Milesios, Aristotelem, Theophrastum  
Eresium, Eratosthenem, Serapionem & Hipparchum,  
Polybium, Dionysium Afrum, Strabonem, Pomponi-  
um Melam, Plinium, Solinum Avienum, Julium

Fir-



Firmicum, Marinum, alios, magni etiam Nominis  
Viros, sese antiquiores habuit: sed quod totam Geogra-  
phiam, ad cœli Positionem directam, primus edidit, non  
modò Gradū Longitudinis & Latitudinis, sed &  
Graduum singulorum Scrupulos secutus. Ab errore  
omni quanquam immunis non fuit; & Loca quædam  
aliter descripsit, quam reverâ sita sunt: ut est facilis in  
talibus Lapsus: certum tamen manet, Scientiam, quam  
prodidit, veram esse, ut, qui illam exactè sequatur, non  
tantum Locorum quorumcunq; Positiones certas in-  
venire ac describere; sed etiam ipsos Ptolemaei errores  
deprehendere, ac corrigere facile posse. Hujus itaq;  
præprimis Laudes, & cum Eo universi Studii Geo-  
graphicici deprædicabunt nostri Discipuli, Geogra-  
ficorum hactenus Auditores, quos cras, Deo dan-  
te, ad declamandum producam.

Quos, ut Præsentia vestrâ Spectatissimâ  
Phrontisterion nostrum hâc novâ vice, sicut veteri mul-  
tâ fecistis, non dignaturi, benevolè audiatis, VOS  
VIRI Magni, Docti, Boni, Domini Patroni,  
Fautores & Amici, omni Observantiâ suspiciendi,  
Honore prosequendi, Amore complectendi, etiam atq;  
etiam rogo, & obsecro. Satis digna quidem vestris,  
acri Aceto lotis Auribus non proferent: id quod ultrò

B3

fatemur



fatemur, Tenuitatis & Imperitiae nostrae nobis probè  
consci: sed tamen speramus fore, ut in hoc etiam Studio,  
quantum licet, præstandi Voluntatem; in bonis Artibus  
quibuscunq; proficiendi Desiderium; Reipublicæ in-  
serviendi, & Vobis hoc nomine placendi Studium,  
non improbetis; sed Favore, & Patrocinio exoptato  
provehatis. Adhac, in dimetiendis Terrarum  
Locis, Geographiam versari, nostro loco memores,  
Temporis quoq; spaciū, quod Exercitiis talibus tri-  
butum clepsammidion nobis justè admetitur, non ex-  
cedemus: eò verò Studium nostrum omne impende-  
mus, ut pro Benevolentia, Favoris, & Amoris ve-  
stri, toties exhibito Beneficio, Observantia, Cultus,  
Obsequii, & Studiorum omne Officium,

Ὥμως ἐπὶ γῆν ηε, υῶ περέα νῷα Θαλάσσης,  
id est, Terrâ, Mariq;; quoties & quanta facultas  
erit, admetiamur. Et cum publicarum Rerum Sta-  
tus, Terrâ, Mariq; adhuc, prob dolor! ita compa-  
ratus sit, ut cum Poëta Romano Germani exclamare  
habeamus:

Heu! quantum potuit Pelagi, Terræq; parari

Hoc, quem civiles hauserunt sanguine dextræ;

Orta hunc hi: transitorum non audiret, nito cuncta fuisse  
intimâ

*intimâ Animorum devotione, Deum Opt. Max.  
Terræ, Marisq; Conditorem, Diribitorem, Direc-  
torem, noctesq; diesq; devenerabimur, ut, quæ Chri-  
stianus patet Orbis, Terrâ, Mariq; tandem Pax  
Salutaris constituatur. Vobis etiam Omnibus  
& Singulis, ante Mare & Terras qui fuit, omnia  
fausta, felicia, fortunata, Domi, Forisq; Ter-  
râ, Mariq; evenire jubeat,*

*Dum Vos Terra feret, dum Mare volvet Aquas!  
P. P. Uratslaviae d XXVI. Augusti, quando  
A. Er. Apolytrosios cIs Is CXLVIII.*

M. Valentinus KleinWechterus  
GymnasI Magdalen. Professor,  
& Corrector.



## Dicent,

### I. Exorsuri,

1. Laudando dicendi Materiam, ex Psalmo XXIV. Johannes Christianus Halmannus Vratislaviensis.

### 2. Rogando

1. DEUM, benignam Gratiam, Johannes Adamus à Dam-  
browka.

2. HOMINES, benevolam Audientiam. Carolus Henricus  
à Wyrbsky.

### II. Commendaturi

1. Personam, Ptolemæum Geographum, Balthasar Krockius Breg.

2. Rem, Geographicum Studium, ex Locis

### 1. Separatis, iisq;

#### 1. Adjunctis, & his

##### 1. Receptis,

1. Dignitate, Christophorus Wernerus, Franc.

2. Utilitate, Augustinus Feigius Goldbergens.

2. Occupatis, excellentioribus omniævo Viris, Da-  
vid Godofredus Arnoldi Mega Tschirnens.

2. Causis internis, Materiali & Formali, in Exercitio Di-  
alogistico, in quo Collocutores futuri

1. Informandus, Christianus Lobenschos Vratisl.

2. Informaturus, Paulus Hofmannus Vratislav.

2. Congregatis pluribus, in Carmine, Godofredus Kirstenius  
Berolstadiensis.

### III. Peroraturi,

1. Hortando Condiscipulos ad Studii hujus Culturam, Carmine  
de Tabb. Geographicis B. Philippi Libr. 2. Poemata. Chri-  
stianus Hulse, Laubâ Lusatius.

### 2. Gratias agendo

1. Auditorib⁹, pro benevolâ Audientiâ, Dietericus à Wardeck.

2. DEO, pro mirandâ circa bonas Artes Providentiâ, Godo-  
fredus Friderici Vratislaviensis.

T. Θ. Δ.

Ung. VI 58. (A)

ULB Halle

002 686 287

3



56,

VDI 7  
Sep. 2000 Pcl.






## Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



J.  
MAEUS  
inter Græcos  
CHA;  
Is  
cultum,,  
erius excolendum,  
GRAPHICUM;  
metoricis,  
I. Augusti,  
meridianis,  
lagdalenæo  
untur.  
exprimebat  
nus.